

in vinculo pacis. Sed quisque illorum aliquid novi asserere fatagit, quod aliis doctori videri possit. Hoc tale doctrinarum variarum diluuium, Germaniam nunc (heu) totam inundat, in qua tam multa sunt hæreticorum dogmata, ut vix duæ aut tres sint civitates, inter quas de eodem dogmate conveniat. Qui ab hac doctrinæ unitate recedit, eo ipso à Deo se longissime separat. Quoniam in diluuium aquarum multarum ad eum non approximabunt. Hæc interpretatio adeo placuit Gregorio & Casiodoro, ut nullius alterius meminerint. Ego tamen illam sic probō, ut illam nec ausim refellere, nec mordicus tenere. Non enim ego talis sum ac tantus, ut quod illi probaverunt, ego improbare audeam. Verum neque illi tales sunt ac tanti, etiam si gigantes magni sint, ut nobis in scripturarum sacrarum interpretatione præscribere possint, ut aliter, quam illi interpretati sunt, scripturam sacram interpretari non liceat, præsertim, cum scriptura sacra tam fecunda sit in sententiis, ut non solum binos, sed ternos, & quaterinos alar uberes fœrus. Sit ergo illorum interpretatio vera, & literæ conveniens, ego tunc aliter (& forte convenientius) de multiplicitate tribulationum posse intelligi non dubito. Nam aquarum nomine, tribulationis varietas & multitudo sæpe in sacris literis significatur: quoniam sicut alta aqua multos sæpe sic opprimit, ut in ea pereant & suffocentur, ita magnitudo tribulationis multos vitiis succumbere facit. Propterea ille, cujus via in mari erat, & semitæ in aquis multis, divinum implorabat auxilium, dicens: (Psal. 68.) *Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam.* Deinde sicut aqua extinguit ignem, sic tribulatio aliquorum charitatem. Non omnis omnem, quum & si magna & vehemens tribulatio parvam charitatis scintillam extinguere valeat, magnum tamen charitatis ignem non solum non extinguit, sed sæpissime auget. Hæc est enim illa aquarum multitudo, de qua in canticis (cap. 8.) dicitur: *Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem.* Quia quæ vera charitas est, omnia suffert, propter quod nulla ei tribulatio obesse poterit. Cum iuges & multiplices & vehementes sunt tribulationes, tunc quasi torrens inundans est tribulatio. Hæc enim metaphoræ usus est Balaam (cap. 48.) dicens: *Iustitia tua sicut gurgites maris.* Et ipsemet Deus tribui Juda & Benjamin per Prophetam Oseam minatur, dicens: (Osee. 5.) *Effundam super eos quasi aquam iram meam.* Vide hic iram Dei aquæ effusæ comparatam: quoniam aqua impetuosa, & torrens aliquis immodicis imbribus, & nivibus dissolutis exasperatus, multa dissipare solet, sic ira Dei, nisi misericordiæ recordari velit, omnes peccatores evertit. Harum aquarum diluuium tunc erit, quando Deus ad iudicium venerit. Est etiam diluuium aquarum in morte cujuslibet peccatoris, illius præsertim, qui in multis delictis vitam suam transgessit, cujus conscientiam multa acculant peccata. Sed hoc diluuium particulare est, aliud vero generale. De utroque istorum hunc Psalmi versiculum posse intelligi censeo, ita, ut per illa verba Propheta doceat, nec illius tremendi iudicii tempus, nec mortis horam esse tempus opportunum ad peccatorum remissionem obtinendam. Hoc tamen inter unum & alterum tempus interest, quod ultimi iudicii tempus, omnino importunum est, ut quis pro suis peccatis exoret, quoniam & si cum lacrymis multis peccatum sibi remitti petat, nunquam tamen impetrabit. At mortis tempus non sic est importunum, ut qui tunc vere penitet, exardere non possit: quoniam ante ultimum vitæ hiatum nunquam Deus sic misericordiæ portas claudit peccatori, ut cum virginibus tarde venientibus dicatur il-

li. (Matth. 25.) *Claustra sunt janua.* Sed ideo tempus illud tunc est importunum, quia & si Deus paratus sit audire, qui tamen male habet, & torquetur, non est tunc aptus ad orandum. Duplex itaque est importunum orationis tempus, alterum, cum mors peccatori instat, alterum, cum iudicatur, aut cum jam iudicatus est. In altero peccator, etiam si velit, non est ad orandum aptus: quoniam multa sunt quæ illum ab oratione avertunt. In altero, etiam si peccator omnes suas expenderit in oratione vires, Deus jam non est audire paratus: quoniam terminum orationi constituit, quem nunquam transgredietur. De utroque ergo tempore, sub nomine diluuii aquarum multarum David ait: *Veruntamen in diluuium aquarum multarum ad eum non approximabunt.* Quoniam in hora mortis rarus est qui ad Deum appropinquet, si antea longe ab illo per peccatum receperat. In iudicio autem nullus jam ad illum redire poterit ex iis, quos mors extra salutis statum intercepit. Et huic nostræ interpretationi non desunt magni nominis patroni. Nam Hieronymus & si primæ interpretationi utcumque faveat, hæc tamen inter alias, quasi magis literæ germanam, primo loco posuit. Cum enim in expositione proximæ præcedentis versiculi dixisset tempus opportunum ad orandum esse vitam præsentem, statim in interpretatione præsentis versus hæc subdidit. Multi fluctus diluuiorum in iudicio impios vallabunt, qui sanctis nocitura non erunt. *Veruntamen in diluuium aquarum multarum ad eum non approximabunt.* Hæc Hieronymus. Beatus etiam Augustinus in prima hujus Psalmi expositione (nam in secunda, quam de hoc Psalmo edidit expositione, hunc versum de multiplicitate doctrinæ exponit) de iudicii die interpretatur. Ex quibus constat, & Augustinum, & Hieronymum aquarum nomine, tribulationem, & dolorem intellexisse. Propter quod illos ego imitatus, de hora mortis & iudicii tempore hunc locum pertractandum censui, quoniam in hora mortis etiam est huiusmodi aquarum inundatio, quamvis non tanta, sicut in iudicio. Singula igitur suo ordine discutiamus, & primo de extrema valetudine, postea vero de die iudicii hunc versum pertractemus. *Veruntamen in diluuium aquarum multarum ad eum non approximabunt.* Tanta est sæpenumero in morte plurimorum inundatio tribulationum, ut merito tunc diluuium aquarum multarum dicere possis. Primo quidem ipse mortis timor moribundum hominem præsertim vivere cupientem, vehementissime cruciat. Crux enim, & quidem acerbissima, est illi, quæ timet, quem vincere non potest. Quis autem tam invictus unquam fuit, qui tandem à morte non vinceretur? Aut quis umquam tam liber natus est, qui mortis legibus non sit parere coactus? (Ovidius.)

Tendimus huc omnes, metam præparamus ad unam.

Omnia sub leges mors vocat atra suas.

Quo fit, ut ipse mortis timor sine dolore acerbissimo esse non possit in illo, qui mortis manus se effugere posse non credit. Et tanto major erit hic cruciatus, quanto minores suppetunt illi ad tolerandum vires. Longa siquidem valetudo, corporis & animi robur profus dejicere, nedum minuere solet: unde evenire necesse est, ut membra prolixo languore debilitata, minimo dolore crudelissime torqueantur. Sunt adhuc alia multa præter ipsum languoris dolorem, quæ morientem hominem vexare solent. Mundi, quem deserit, & delictarum illius immodicus amor. Uxor quam effrenare adamavit: filii, quos illicite dilexit. Divitiæ, pro quibus congregandis tor labores subit, toties maria transfretavit, toties Deum sprevit, ut illum divitiis post-

post poneret. Cum hæc omnia, velit, nolit, se derelicturum consideret, quanto putas dolore ille afficietur? Fieri quidem est necesse, ut tanto crucietur merore hæc omnia amittens, quanto exultabat gaudio illa possidens. Quis jam tam durus ac ferreus erit, ut mens illius tot doloribus non perforetur? Quis tam constans, ut tot ictibus non deiciatur? Cujus iudicium tam firmum erit & stabile, ut inter tot cruciatus non vacillet? Est enim tanta doloris vis, ut sæpe mentem à rationis usu dimoveat: Nam & metus, qui impendentis mali opinio à Cicerone definitur, hoc efficere potest. Ipse enim Tullius pavorem definiens, dicit esse metum mentem de loco moventem. In cujus rei confirmationem Ennius adducit dicentem. Tum pavor mihi sapientiam omnem ex animo expectat. Et Sapiens ob hanc causam animi aegritudinem vino multo comparasse mihi videtur: *Amariudo anima,* inquit ille (Ecl. 31.) *vinum multum.* Nam sicut vinum multum corpus inebriare solet, & mentem à ratione separare: ita etiam nimius dolor, aut nimia tristitia mentem ebriam facit, ut compos iudicii illa non sit. Ita enim natura comparatum est, ut longe acrius ea perturbent quæ molesta sunt, quam jucunda delectent. Cum igitur voluptates & libidines rationem à mente procul abjiciant, hoc idem dolores efficere posse erit necesse. Age nunc obsecro, quo pacto qui mentis defectum patitur, dignam poterit agere penitentiam: ad quam tanta exigitur peccatorum investigatio, tanta illorum cognitio, quantam vix ullus acutissimus homo sine Dei speciali auxilio præstare poterit? Sunt enim illorum multa tam abdita atque reclusa, ut ipsos illorum auctores quamlibet doctos atque prudentes sapientissime lateant. Nam pro his Propheta Deum orabat dicens. (Psal. 18.) *Ab occultis meis munda me Domine.* Is igitur, qui mortis doloribus jam est circumventus, non est orationi aut penitentia aptus: quoniam, ipsi doloribus urgentibus, vix potest quicquam aliud, quam morbum cogitare; quo fit, ut non solum occulta, sed manifestissima quæ illum latebant peccata, & quæ ante languorem ob oculos semper versabantur, illa sint magis oblivioni tradita. *Veruntamen in diluuium aquarum multarum ad eum non approximabunt.* Quoniam in morte, ubi est dolorum inundatio, homo vix de peccatis cogitare permittitur. Eiso enim morbus tam mitis sit, & dolores tam leves, ut per illos peccata sua recogitare homini morienti liceat, & omnia in memoriam revocare valeat, vix tamen qui longam cum peccatis traxit consuetudinem, poterit tunc ab illis divelli. Vix poterit subito detestari, & (ut decet) abominari, quæ longo tempore ante aidenter amaverat. Tanta est enim consuetudinis vis, ut fere transeat in naturam. Propter quod Deus Judæis longa peccatorum consuetudine obduratis per Prophetam Hieremiam loquens, (cap. 13.) ait: *Simularis poterit æstivari pellem suam, aut pardus varietates suas, & ovis poterit is benefacere, cum didiceritis malum.* Ut quis longam vincat consuetudinem, maximis viribus indiget; quomodo ergo illum superare poterit, qui omnibus fere corporis & animæ viribus esse desitutus? Et si forte se peccata penitet, non tamen ea penitentiæ, quæ ad peccatorum remissionem imperandam sit satis. Illa enim quæ pro peccatis intercedere valet (ut in alio sermone jam me longius dixisse memini) à charitate proficisci debet: quoniam illa, quæ à solo timore oritur, & si profus inutilis non sit confidenda, pro peccatorum tamen remissione Deum exorare non valet. Nam (ut beatus Augustinus ait) oportet non solum timere iudicem, sed diligere; arbitrii enim libertatem quaerit ille, ut dolere possit com-

missa, non necessitatem, charitatem, non timorem. At, qui antea peccatis assueti, & jam mortis timore cogente peccata sua desunt, & illa Sacerdoti confitentur, creduntur non propter Dei amorem & verum peccati odium id facere, sed poenarum timore, quas ni id fecerint, certas sibi paratas sciunt. Hoc autem in mortis ita esse, vel ex eo facile conjici potest, quod si contingit eos convalescere, peccata, quibus per confessionem renuntiaverunt, repetunt, & tamquam canes ad vomitum redeunt. Est adhuc aliud, & certe omnium horum urgentissimum argumentum, per quod aperte convincitur, ut homini peccatis assueti, difficilima sit in mortis articulo penitentia: quoniam tunc dæmon magna sedulitate, & acerrima tentatione morientem invadit. Tunc duriora apponit certamina, tunc acutius illum constringit, & tanto vehementius oppugnat, quanto jam brevius tempus sibi ad vincendum remansisse videt. Nam Pharaon ille, (Exod. 14.) qui filios Israel in Ægypto existentes durissime afflixit, multo potentiori apparatu, & vehementiore exercitu illos est insequutus ex Ægypto exeuntes, quam in Ægypto morantes. Hoc idem dæmoni contingit, qui morientem hominem, velut ex Ægypto exeuntem, acutius affligit, quam in mundo existentem. Cognoscit siquidem post mortem nullum esse pugna locum, ac proinde omnes suas tunc expendit vires, ut illum in sui ditionem venire cogat. Hoc est quod Propheta pertimescens dicebat: (Psal. 55.) *Ipsi calcaneum meum observabunt.* Calcaneum nostrum dæmones observant, cum mori nolit: illi insidiantur. Per calcaneum, quod finis est corporis, mortem intelligimus, quæ terminus est vitæ præsentis. Et bene calcaneo comparatur: quoniam hunc à tergo portamus, & vix illum & raro conspicimus. Nihil est autem quod magis nostros oculos effugiat, quam mors, raro, & quasi coacti, de illa cogitamus. Hunc calcaneum maligni spiritus observant; quia circa finem vitæ præsentis nos supplantare conantur. Propter quod serpenti à Domino dicitur: (Gen. 3.) *Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo ejus.* Caput serpentis initium est diabolicæ suggestionis. Caput ergo serpentis conterit, qui initium tentationis diabolicæ contradicit, sed serpens, qui in principiis vincitur, percutere calcaneum molitur, quia vitæ initia quamvis quisque bona & studiosa habeat, dæmon contemnit, modo illum ad malum vitæ exitum perducere possit. Scit enim optime dæmon, quod Deus non considerat qualia quisque habuerit initia, qualia etiam media, sed solos investigat vitæ nostræ exitus. Non enim qui incipit, aut qui ad medium usque vitæ progressus est: sed qui persequeretur usque in finem, hic salvus erit. (Matth. 10.) Et propter hanc causam non solos peccatores, sed etiam iustos homines dæmon fortius in morte invadit, quia scit tunc de tota hominis salute agi. Nam beato Martino morienti dæmon addidit, quaerens, an ab illo moriente aliquid capere posset, cui sanctus magna cum fiducia respondit. Quid hic additas cruenta bestia? Nihil in me fuisse reperies, sed sinus Abraham me suscipiet. Nec miror, quod sanctos omnes invadere tenet, qui sanctum sanctorum, & totius sanctitatis auctorem aggredi non dubitavit. Ipse siquidem Salvator noster cum jam non longe esset à morte, dixit: (Joan. 14.) *Venit Princeps huius mundi, & in me non habet quicquam.* In Christo dæmon aliquid se invenire credidit, in eo tamen nihil habuit: quoniam peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. (1. Pet. 2.) Ob hanc causam Salvator noster morti propinquus factus in agonia prolixius orabat, (Luc. 22.) non quod ipse tunc pertimesceret, aut pro-

HOMILIA XV.

Tu es refugium meum à tribulatione, quæ circumdedit me.

SIT quantumlibet magna futura in iudicio tribulatio, ita, ut omnes acerbissimæ pœnæ, omnes crudelissimi dolores, omnes horridi cruciatus, omnia denique afflictionum genera, in unam illam confluant, non tamen illa omnes homines, in quibus maxima, haud dubie, meritum dissimilitudo invenietur, sine ullo discrimine perdat. Non enim talis est Deus, ut iustum cum impio simul perdere velit, immo potius contra, impiis & sceleratis sæpissime parcat propter merita iustorum. Nam sceleratissimis illis & nefandissimis Gomorrhæis & Sodomis pepercisset Deus, ne super illos plueret sulphur & ignem, & illorum civitatis subverteret, & illos, cunctaque terræ virentia adureret igne. (Gen. 18.) Quia vero solum Loth illiusque domum, & forte non totam, cum nulla ibi sit ancillarum & servorum facta memoria, liberos à nefando illo crimine reperit, hos solos, reliquis omnibus igne consumptis, salvos esse voluit. Et (ut antiquiora reperamus) cum multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio hominis intenta esset ad malum omni tempore, adduxit aquas diluvii super terram, in quibus cum peccatores omnes perirent, Noe cum filiis suis & eorum uxoribus salvatus est, Domino ita disponente, ne iusti simul cum peccatoribus perirent. (Gen. 7.) Juxta hunc modum, si ne ullo proflus discrimine iudicium fieri. Perdentur tunc quidem peccatores omnes, neque erit quo tuti confugere possint, neque ullus erit, qui illos tunc protegere valeat, aut velit. *Oculi impiorum deficiunt* (inquit Job cap. 11.) *Effugium peribit ab eis.* Deficiunt quidem oculi illius, qui in tribulatione magna positus, & circumspiciens undique, non invenit quo tutus confugere possit. Peccatores in mundo hoc quoties aliqua vallantur angustia, refugia quaerunt, quibus se ab illa eripere valeant, & sæpe inveniunt. Divitias procurant, ne paupertate eos affligi contingat. Dignitates ambiunt, ut hominum despectus evitent. Si mestitia illos invadit, ad iocorum blandimenta, quibus mestitia animi relevare possint, recurrunt. Si ciborum fastidio corpus enervatur, plurima ciborum condimenta sibi parant, ut illis allicientibus, comedere aliquid possint. Si frigore premuntur, vestibus plurimis corpus suum tegunt, vel ad ignem accedunt, ut frigus expellant. Si calore aestuant, frigida loca quaerunt, vel alia caloris remedia diligentissime inquirunt. Nulla est denique angustia, quæ illos quovis modo affligere possit, cui non habeant in hac vita paratum refugium. In iudicio autem non sic: quoniam etiam si undique circumspiciant, & quaqua versum oculos suos tendant, nullum inveniunt refugium, quo se recipi possint. Et hoc est quod ait Job: *Effugium peribit ab eis*: quia non erit quo possint peccatores ire à spiritu Dei, neque quo à facie illius fugere. Quod cum peccatores quaerant, & non inveniunt, merito illorum oculi deficiunt. Digna quidem sententia, ut Deum protectorem tunc non habeant, qui cum hic viverent, ad illum confugere neglexerunt. Longe tamen aliter iustis eveniet, quibus nulla tunc poterit nocere adversitas: quoniam Deus erit illis refugium tutissimum, ad quod confugientes, quasi leones confident. Non illis nocere jam poterit caro, non mundus, non denique peccata, quæ olim commiserunt: quoniam cum illa jam vere deplaverint, Deus illos ad se fugientes recipiet. Recipiet quidem Deus iustos in iudicio,

qui cum hic viverent, si quando eos peccare contingerit, peccata sua fugientes, ad Deum pro illorum remissione confugerunt. Illos solos salvabit. Pro illis solis morti propinquus oravit. Pro his solis passionem suam Deo Patri obrulit. Salvabuntur innocentes in iudicio, & peccatores, quos se peccasse poenituit, verum non suis meritis, sed Christi Salvatoris nostri, ad quem viventes confugerunt. Hoc enim prætendebat illa arcæ mensura, in qua paucissimi (hoc est) solum octo (ut ait beatus Petrus 1. 3.) salvati sunt: quia soli illi diluvio inundante confugerunt ad illam. Trecentis siquidem cubitis illa tendebatur in longum, sexaginta cubitis patebat in latum, triginta vero cubitis surgebat in altum. Non tamen ubique hac mensura gaudebat: quoniam ab immo confurgens ubi plenam illam longitudinem & latitudinem habebat, paulatim undique coangustabatur usque ad summum, quod unius cubiti mensura consummabatur. Arcam istam figuram esse militantis Ecclesiæ, plurimorum sanctorum confirmat auctoritas. Tenet enim hæc intra se bonos & malos, quemadmodum illa in se tunc recepit homines & bestias, animalia item munda & immunda. Bestiæ in infirmo erant locatae, ubi latius erat habitaculum, & peccatores in infirmo loco, hoc est in vitis jacent, & spatio iam latamque viam tenent, quæ ducit ad mortem. Homines in supra & angustissima arcæ mansione stabant. Homo rationale est animal, propter quod soli illi homines dici merentur, qui juxta rationem vivunt, & peream bestiales & feros carnis appetitus domant. Narabat illa in aquis, & quo magis aquæ multiplicabantur, magis illam in sublime levabant. Ecclesia in tribulationibus multis constituta, non perit, non mergitur in illis, sed Deo, qui in medio illius semper est, illam juvante, ad majus semper proficit virtutis incrementum. Ut autem illa inter tot fluctus constans esse possit, bitumine linita est intrinsecus & extrinsecus, sic enim obviatum est aquis, ne penetrarent ad arcæ interiora. Bitumen hoc (mea quidem sententia) dicerem esse charitatem, quæ Christi fideles sic invicem connectit, ut ex multis unum faciat. Hoc bitumine linitus fuerat Jonathas Saulis filius, de quo historia regum narrat, quod conglutinata fuerat anima illius animæ David. Ut autem nihil corporeum de glutino illo opinareris, continuo post declaravit, glutinum illud fuisse amorem, ita subjungens: (1. Reg. 18.) *Et dilexit eum Jonathas quasi animam suam.* Hoc est illud glutinum, de quo Esaias (cap. 41.) ait: *Glutinum bonum est.* Bonum quidem glutinum & jucundum, quod facit fratres omnes habitare in unum. Bitumen bonum & tenacissimum, quod multitudo tribulationum dissolvere non potest. Aquæ siquidem variarum tribulationum perfectam charitatem extinguere non valent: quoniam (ut ait Paulus 1. Corinth. 3.) *Charitas patiens est, & omnia suffert.* Quod autem intrinsecus & extrinsecus linitum jubetur, duas charitatis partes exprimit: quoniam Deum ex toto corde diligere tenemur, & proximum sicut nos ipsos. Dilectio Dei nos intrinsecus linit, ne dæmonis tentationes, quæ subtiliores sunt, animam nostram penetrare valeant. Dilectio proximi linit extrinsecus, ut simus contra mundi tentamenta muniti. Quotquot arcam intraverunt, reliquis omnibus pereuntibus, salvati sunt, & quisquis fidem catholicam tenens, ad Deum velut ad tutum refugium confugerit, perire non poterit. Intrat enim arcam, qui baptismum suscipit, & in obsequium Christi suum captivum intellectum, credens quod catholica docet Ecclesia. Nec solum homines salvati sunt, sed & bestiæ, quæ in arca erant: quoniam in tremendo illo iudicio non solum

sal-

salvabuntur innocentes, qui semper rationi obsequentes, semper in iustitia ut homines vixerunt, sed etiam peccatores, qui in fide perseverantes, ad Deum pro suorum remissione peccatorum confugerunt. Hi enim bestie merito dici possunt, qui pecudum more vivunt, quique bestiales carnis motus sequuntur. Propter hoc enim Prophetam dixisse censeo, (Psal. 35.) homines & jumenta fore à Deo salvandos, quemadmodum multiplicavit misericordiam suam Deus. Nisi enim jumentorum nomine eos homines intellexisset, qui ratione neglecta, solos carnis appetitus ad instar bestiarum sequuntur, quo pacto Deus jumenta bearet, qui illum nec videre, nec diligere possunt? Aut quomodo illos salvaret, quæ etiam si ille non salvaret, damnari non poterant, cum nihil boni aut mali egissent? Jumenta ergo & homines salvabit, quia non solos innocentes, qui perpetuum hominis appellationem merito tenent, sed etiam illos, qui bestialiter ante viventes, per poenitentiam in homines se transformaverunt, in illa horrenda iudicii tribulatione illæfos servabit. Ne autem sibi aliquis hanc arroget libertatem, ipsa arcæ mensura declarat, neminem suis meritis, sed Christi Salvatoris nostri fore salvandum. Longitudo siquidem, quæ trecentorum cubitorum esse dicitur, crucis mysterium declarat. Nam Græci, qui literis alphabeti ad numeros explicandos utuntur, vigesimam in ordine litteram, quæ crucis habet figuram, videlicet T, pro trecentis, substituere solent. Unde constat, arcæ longitudine crucis mysterium fuisse figuratum, ut inueneret, nos crucis medio fore salvandos. Possimus etiam hoc aliter juxta beati Augustini sententiam interpretari, itaut in arca mensura, commensurationem corporis Christi intelligamus: quoniam eadem est in corpore Christi proportio longitudinis ad latitudinem, & altitudinem, quæ in arca fuisse describitur. Humani quippe corporis longitudo (ut verba illius referam) à vertice usque ad vestigia, sexies tantum habet, quam latitudo, quæ est ab uno latere ad alterum latus, & decies tantum, quam altitudo, cujus altitudinis mensura est in latere à dorso ad ventrem, velut si jacenem hominem metiaris supinum seu primum, sexies tantum longus est à capite ad pedes, quam latus à dextra in sinistram, vel à sinistra in dextram, & decies quam altus à terra. Hæcenus Augustinus. Eadem in arca mensura proportionem invenies, si illius longitudinem ad ejusdem latitudinem & altitudinem comparare volueris. Quæ cum ita se habeant, aperte ex his colligitur, illam arcam mensuram figuram fuisse Christi Salvatoris nostri, qui pendens in ligno crucis nos salvos fecit. Quotquot arcam pro refugio acceperunt, salvati sunt: quoniam nullus ad illam confugens in diluvio perit, & quisquis Deum pro refugio habere voluerit, in iudicio salvabitur, modo tempore opportuno ad illum confugiat. Noe siquidem, & qui cum eo liberati sunt, ante diluvii inundationem arcam intraverunt, ne forte inundante diluvio, etiam si vellent confugere in arcam, non possent. Qui in iudicio liberari optat, ante illud tempus arcam intret: Ecclesiam ingrediat, fidem suscipiat, in Christi meritis fidat, & non in suis. Si aliqua ingruat tribulatio qualis illa sit, ad Christum confugiat, & si hoc tempore opportuno fecerit, liberabitur in die iudicii, & cum peccatoribus in illo diluvio multarum tribulationum non mergetur. Et quia hanc in Deo David habebat fiduciam, cum dixerat, peccatores in diluvio aquarum multarum ad eum non appetit, liberabitur in die iudicii, & cum peccatoribus in illo diluvio multarum tribulationum non mergetur. Et quia hanc in Deo David habebat fiduciam, cum dixerat, peccatores in diluvio aquarum multarum ad eum non appetit, liberabitur in die iudicii, & cum peccatoribus in illo diluvio multarum tribulationum non mergetur.

me. Quibus verbis peccatores ad poenitentiam artificiose nimis hortatur, promittens illis, si poenitentiam egerint, Deum in tremendo illo iudicio habituros pro refugio tutissimo. Ut autem hanc promissionem certam illis faceret, seipsum in exemplum proposuit dicens: *Tu es refugium meum à tribulatione, quæ circumdedit me.* Nec solum in iudicio erit Deus refugium, sed etiam ante iudicium in hac vita præfenti, in qua largius & communius est refugium, quam tunc erit. Solum enim iustificati, & jam purgati, Deum tunc protectorem justitiam, & domum refugii. Nunc autem iusti & peccatores boni & mali illum pro refugio habent, qui omnes ad se vocat, & neminem ad se venientem rejicit. *Venite* (inquit ille Matth. 11.) *ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Omnes ad se vocat, omnes invitatur, neminem à se excludit, qui dicit: (Luc. 11.) *Pulsate, & aperietur vobis.* Bonum refugium, quod omnibus patet, & omnibus est subvenire paratum, quod omnes recipit iustos & peccatores. Peccatores à præteritis peccatis, quæ illum vexabant, & in servitium redegerant, liberat; iustos à futuris & imminentiibus, ne illi nocere valeant, servat, & protegit. *Petra* (ut ait Propheta Psal. 103.) *refugium est herinacis.* Herinacius, sive hericius, quod idem est, animal est hispidum, spinis minutissimis undique repletum, & significat peccatorem multis peccatis quasi variis spinis obvolutum. Talis quidem hericius petram illam habet refugium de qua Paulus ait: (1. Corinth. 10.) *Petra autem erat Christus.* Ad hanc petram peccatores quasi peccatis suis confugientes, remissionem accipiunt. Est etiam refugium iustis, illos in sui protectione recipiens, ne à rege, aut mundo aut dæmone lædantur. Congregat enim illos, quemadmodum gallina pullos sub alas, ne devorentur à miluo. (Matth. 23.) Nec solum confugientes recipit (tanta est illi servandi voluntas) sed etiam vocat & invitatur eos, dicens: (Cant. 2.) *Veni columba mea in foraminibus petrae, in caverna macerie.* Anima iusti viri, columba dicitur, quia cum hæc sola peccati felle careat, etiam hæc sola, columbæ appellationem meretur. Hanc forte Deus viderat, à carne, mundo, & dæmone velut à quibusdam rapacibus avibus circumdatam; ideo volens eam ab his omnibus eripere, ad se vocat, nidum ostendens, vulnera videlicet sua, in quibus possit tuto se recipere. In foraminibus, inquit, petrae, in caverna macerie. Foramina petrae, vulnera sunt manuum & pedum corporis Christi. Caverna macerie est vulnus, quod in latere accepit. In his foraminibus est firma tutaque requies: quoniam tanto in illis securior quisque habitat, quanto potentior est, qui illa pro nobis per tulit ad salvandum. Ingredere igitur in foramina petrae, & intra pectus illud pietatis immense, ut salvus sis à perillanimitate spiritus & tempestate: absconderis in tabernaculo illius, & in die malorum protegeris in abscondito tabernaculi ejus. Non poteris non salvus esse in domo tanti refugii receptus. Habet autem refugium hoc duplicem commendationem, illam scilicet, qua portus aliquis laudari solet. Est enim portus quoddam navigantibus peragium, ad quod, ut tempestatem maris evadant, navigantes libenter confugiunt sperantes firmius in eo & securius quam in iactabundo mari esse habitaculum. Qui autem optimus est portus, duobus argumentis commendatur, quæ summam illius perfectionem aperte convincere valent. Si enim facilis ad illum patet ingressus, & quos semel receperit (recipere autem possit non paucos) securus, & ab omni vento & tempestate tutus conservat; is merito laudabi-

Gg

tur

tantibus ibi omnibus totius regni hominibus ac videntibus, in suam ignominiam nudaretur. Nulli dubium, quin pœnitentia confessione deficeret. Quid igitur futurum putas, si multa cordis sui secreta & enormia in publicum exponerentur, ut omnibus essent conspicua? Hinc igitur obsecro, oculos tuos atrolle, & considera tanto majorem futuram animæ confusionem & ignominiam, quanto major erit tunc illius cognitio, & quanto plures & dignitate majores erunt illi, coram quibus in iudicio animæ pudenda revelabuntur. Tunc enim omnia illius scelera & flagitia, nec solum opere perpetrata, sed etiam cogitata patebunt omnibus aliis peccatoribus, & demonibus, & iustis hominibus, & Angelis sanctis, ut horum omnium iudicio, Dei sententia in peccatore lata, iusta esse comprobetur. Sed ne tergiversatione aliqua (ut in mundo fecerant) tam patenti & manifeste rei possint peccatores ullo pacto repugnare, tanta fidelissimum testimonium multitudine convincentur, ut illorum improba pervacitas retundatur, & comprimatur, & sic obmutescere faciat imprudentium peccatorum obstinatam nequitiam. Undique testes citat, qui contra peccatores testimonium dicant. (*Psalm. 49.*) Advocabit enim cœlum de suum, & terram deorum, discernere populum suum. Nam se ita facturum, minatus est dicens: (*Deuter. 31.*) *Invocabo contra vos cœlum & terram.* Cœlum quidem invocabit in testimonium, quia Angeli sancti qui illorum eorum gesserunt, velut oculati testes, dicent illos sua consilia, monitiones, reprehensiones, auxilia, omne denique suum, quod Deo iubente, illis exhibuerunt ministerium, contempsisse. Unusquisque enim Angelorum in illo tremendo iudicio aderit, producens in publicum illos quibus profuit, quos adiuvit, quos instruxit, pro quibus Deum oravit, & omnia, quæ illis impendit beneficia, referet. Dæmones, in quorum conspectu peccaverunt, libentissime testimonium dicent de omnibus sceleribus, quæ peccatores commiserunt. Et qui ante peccata suggererunt, exultabunt tunc, quod tam firmo animo peccator in illis usque ad mortem perseveravit, ut dignam pro illis pœnitentiam agere contemperit. Testimonium dicent sancti omnes, quorum vitam imitari noluit, ut tantorum sanctorum multiplici exemplo confundatur, & agnoscat vitam longe diversissimam potuisse agere, si ille voluisset, nec impossibile illi fuisse dolores & labores pro Christo perpeti, cum tot senes pueri & puellæ immensos & acerbissimos pro Christo toleraverint cruciatus. Post cœli & inferni testimonium quid superest, nisi ut etiam terra in testem producat? Et revera hæc ipsa tacere non poterit, cum tot & tantorum malorum sit conscia. Testimonium contra peccatorem dabunt alii peccatores, quorum alii dicent. Tu nos peccare docuisti. Alii. Tu nobis male consuluisti. Alii iterum. Ne bene ageremus, decipisti, & a bono proposito sæpe in malum avocasti. Hæc & similia peccatores adversus peccatorem testimonium dicent, qui ab illo spiritualiter læsi fuerunt. Sed numquid illi qui fuerunt corpore aut corporeis rebus oppressi tacebunt? Clamabunt certe adversus oppressores suos, & afflictiones suas nimia celeritate narrabunt, & vindictam illorum à Deo exoptent. Age nunc, obsecro, quis tam effrons erit, ut in tanta accusantium fidelissimum testimonium turba mutire valeat? Tanta est testimonium multitudo, ut merito peccator illud Job (*cap. 10.*) dicere possit. *Instauras testes tuos contra me, & multiplicas adversum me iram tuam.* Sed præ his omnibus potentior est testis conscientia propria, quæ tam firmum reddit testimonium, ut sola hæc satis esset ad illum convincendum. Hæc enim omnium operum, om-

niumque cogitationum testis est oculus. Unde Paulus ait: (*Rom. 2.*) *Testimonium reddent illi conscientia ipsorum, & inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus in die cum iudicabit Deus oculos hominum.* Et ita fiet, ut quisquis damabitur, se teste damnetur. Magna quidem & multa (ut censo) tormenta hæc tibi videntur. Sed his omnibus multo majus & horribilissimum est, cum se viderint peccatores velut hæcōs foedissimos à sinistra iudicis statui, iustis ad dexteram collocatis, & illos ad regnum vocari, se autem demonibus ab illis in æternum torquendos tradi. Quanta tunc erit angustia? quantus gemitus? quantus plangit? Majora quidem & plura erunt hæc omnia, quam ut lingua explicare, aut intellectus capere sufficiat. Cum tanta igitur tunc futura sit tribulationum multitudo, merito iudicium illud diluvio aquarum multarum comparari poterit. Hæc enim metaphora usus est Nahum Propheta, (*cap. 1.*) dicens: *Et in diluvio prætereunte consummationem faciet loci ejus, & inimicos ejus persequentur tenebræ.* Consummationem sæculi diluvium dixit, non tamen quale fuit temporibus Noë: quoniam illud fuit ex inundatione aquarum multarum; quod autem erit in iudicio, conflabit ex multiplicitate peccatorum. Illud perstitit aliquandiu, hoc cito pertransibit. Illud duravit quadraginta dierum spatio, hoc fiet in momento, & in ictu oculi, & in novissima tuba. Et ob hæc causam dixit Propheta: *In diluvio prætereunte consummationem faciet.* Age nunc, obsecro, cujus cor erit tam durum ac ferreum, ut tot afflictionibus pressus non flectatur? Cujus animus tam obstinatus, ut tot pœnis urgentibus non respiscat, & se male egisse non pœniteat. Pœnitebit quidem haud dubie peccatores omnes in iudicio vitæ male actæ. Videntes turbabuntur timore horribili, ut Sapiens ait, (*cap. 5.*) & mirabuntur in subitanea insperatæ salutis gementes pro angustia spiritus gementes, dicentes intra se, *pœnitentiam agentes, & pro angustia spiritus gementes, dicentes: Hi sunt, quos aliquando habuimus in derisum, & in similitudinem improperii. Nos insensati, vitam illorum æstimabamus insensiam, & finem illorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos fors illorum est. Ergo erravimus à veritate, & iustitiam lumen non luxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis. Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus. Hæc & alia multa, quæ ibidem subnectuntur, refert Sapiens dicturos peccatores in inferno. Agnoscentes ergo illi peccata sua, se male egisse intelligunt, male actorum suorum pœnitebit illos, sed pœnitentia illa non erit illis ad salutem. Et hoc est, quod nunc Propheta ait: *Verumtamen in diluvio aquarum multarum ad eum non approximabunt.* Instructio tunc erit pœnitentia: quoniam non eo fine tunc agitur, qui exigitur, ut salutaris illa esse possit. Nam vera pœnitentia, quæ salutem operari possit, à Dei amore proficisci debet, non à solo horrore pœnitentiam. At peccatores sic peccata sua in inferno execrantur, ut, pœnis sublatis, ad illa eadem se cuperent redire initia, propter quæ tam acerbè in inferno cruciantur. Non igitur ex amore, sed ex odio pœnitentiam peccata sua deplorant, ut, se in diluvio illo multarum aquarum numquam ad Deum approximare possint. Esto etiam peccata sua non ex odio pœnitentiam, sed quia per illa se Deum offendisse cognoscunt, detestantur, (quod tamen non est credibile illos inquam facturos) nihilo magis illis ad salutem prodest hujusmodi pœnitentia: quoniam non tempore opportuno illa ageretur. Constituit enim Deus tempus omnibus hominibus, in quo meritorie illi ope-*

rari possint. Nam vitam hæc præsentem nobis indultio Deus, ut in illa bene aut male mereremur possimus, extra quam nullum erit meriti tempus. Hæc enim sola causa factis est, ne beati, qui jam plene purgati sunt, per opera sua, quamvis perfectissima, aliquid mereri valeant. Operationes siquidem illorum, omni profus sunt decoratæ perfectione, quippe quæ nulla possint ignorantia obnubilari, cum sint clarissima Dei visione illustratæ, & majori claritatis ardore feruntur in Deum, quam iustorum hic existentium: quoniam (ut est apud Esaiam *cap. 31.*) ignis in Sion, caminus est in Hierusalem. Unde evenit, ut qui illic minimus est, major sit quovis iusto hic existente, etiam Joanne Baptista. Illorum opera sunt plene repurgata, nihil habent ex nostra, terreni pulveris admixtum, quoniam civitas illa tota est aurum mundum, in qua nihil inquinatum inire potest. (*Apoc. 21.*) Cur igitur per opera illa ferventissima nihil merentur? Quare à iustissimo iudice nullo præmio donantur? Quoniam ultimam meriti jam præterere matam. Si beati non merentur, qui sit, ut damnati, etiam si studiose illi agere possent, per opera sua mererentur? Nihil certe jam illi promereri valent, qui tempus, quod illis ad meritum datum est, inutiliter consumpserunt. (*Job. 24.*) Deus illis tempus vitæ præsentis dedit ad pœnitentiam, illi autem abusi sunt eo in superbia. Neque est quod miretur aliquis, opera aliqui profus simillima, ob solum temporis discrimen, esse in præmio disparia: quoniam summa vis meriti in ipsa Dei voluntate consistit, quæ opera nostra tanti præmii ex se indigna, ad beatitudinem acceptat. Non sunt enim pœnitiones nostræ ex se & jure suo condignæ ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis. (*Rom. 8.*) Quod ad tantum præmium desinentur, à sola hoc pendet divina voluntate. Eo igitur solo tempore opera nostra merita censentur, quo Deus illa ad tam ineffabilem mercedem acceptare voluerit. Decevit autem nullam dare mercedem illis, quæ post hujus vitæ cursum gesta fuerint: quoniam (ut ait Sapiens *Eccle. 11.*) *ad quamcumque partem lignum ceciderit, ibi manebit.* Ea igitur, quæ post hujus vitæ agonem fieri contingerit, nulla mercede donabuntur. Æquum enim est, ut qui, cum potuit, bene mereri noluit, etiam cum velit, non possit. Potuit bene agere & mereri vivens, & noluit; iusto Dei iudicio fit, ut mortuus, etiam si velit, mereri non possit. A mortuo perit confessio, perit & pœnitentia, perit omnis operatio, quamvis alioqui bona. Perit, inquam, quoniam & si agatur, inutilis profus æstimabitur. Non est tempus illud ad laborem datum, sed ad quietem, non ad meritum, sed ad præmium. Venit nox (ait Salvator noster *Joan. 9.*) *quando nemo operari potest.* Totum tempus post mortem futurum appellavit noctem, ob hoc solum, quod tempus illud non est aptum ad Dei gratiam promerendam, per inde ac nox non est apta labori. Dies enim ad laborem est apta, nox vero ad quietem. Operari illi, qui à patrefamilias ex denario diurno conducti sunt, (*Matth. 22.*) & ad vineam laborem missi licet inæqualiter laboraverint, quod unus primo mane, alius hora tertia, alius sexta, alius nona, alius denique hora undecima venerit, omnes tamen eadem hora ab opere cessaverunt, & ad mercedem recipiendam vocati sunt, quoniam non erant ad nocturnum laborem, sed ad diurnum solum conducti. Sic quantumvis discriminis in meriti duratione, ita ut unus à pueritia, alius ab adolescentia, alius à juvenute, alius denique in senectute, in vinea Domini bonis meritis laboraverit, hoc tamen inter omnes conveniet, quod in morte ab opere cessabunt, ita, ut nullus deinceps mereri pos-

se concedatur. Ob hoc otium, & hæc meriti vacationem totum illud futurum tempus vocatum est in figura & enigmate sabbatum. Nam cum rorem illum cœlestem Deus in cibum filii Israhel dedit, singulis diebus colligere præcepit quantum cuique diei satis esset, (*Exod. 16.*) die autem septimo colligere prohibuit: quoniam sabbatum est. Ne autem sabbatho cibum desisset, sexto die duplum colligere præcepit, quoniam sabbatho non inveniebatur, etiam si quis tam ignavus fuisset, ut usque ad eam diem colligendum differret. Quo facto significavit, ita nobis in hac vita, quæ ad æternam illam conducunt, esse colligendam, quemadmodum illi tunc per vastas solitudines transcurrentes, undique manna congregabant. In septimo autem atque ultimo hebdomadæ die, id est, in fine sæculorum, nulla tunc erit collectio, quoniam sabbatum est, sed acquisitis fruemur, ut dictum est: (*Psalm. 127.*) *Labores manuum tuarum quia manducabis.* Hæc etiam quæ diximus, alibi etiam sub figura sabbathi mystice referuntur. Nam de labore terræ sic in Levitico (*cap. 26.*) dicitur: *Sex annis feres agrum tuum, & sex annis putabis vineam tuam, colligesque fructus ejus. Septimo autem anno, sabbatum erit terra requiescentis Domini, agrum non feres, & vineam non putabis.* Umbram futurorum lex ista habet. Non enim tanti Deus fecit agros istos insensatos, ut de illorum quiete legem ferre curaverit, sed propter illorum figuram, à labore illos cessare præcepit. Nos enim agri illi sumus, bonorum operum exercitio excolendi. Hoc enim nomine Paulus Corinthios appellat, dicens: (*1. Corinth. 3.*) *Dei agricultura estis.* Et Sapiens, de homine negligente & desidioso, cujus cor propter illius negligentiam peccatis repletum est loquens, ait: (*Prov. 24.*) *Per agrum hominis pigri transivi, & per vineam viri stulti, & ecce totum repleverant urticae.* De istorum agrorum cultura Dominus sollicitus præcepit, ut sex annis, hoc est, toto tempore vitæ nostræ, corda nostra bonorum operum exercitio coleremus: quoniam tempore futuro jam meritorie operari non licebit, eo quod sabbatum est. Non enim quia umbris & figuris illis delectabatur Deus, sed quia per eas ad veritatem omnes inducere voluit, Judæis quiescere in sabbato iussit, & terræ sabbatum dedit. Hæc enim de causa salvatorem præcepisse mihi videtur, (*Matth. 24.*) ut exoraremus, ne fuga nostra fieret in sabbatho, quo tempore juxta legem ambulare non licet, significans pœnitentiam eam, quæ post mortem fiet, esse profus inutilem: quoniam tempus illud jam sabbatum est, in quo nullus jam bene aut male mereri poterit. Homo ille in tenebras exteriores missus, quod in splendore illo & regali convivio absque nuptiali veste apparere non erubuerat, ligatis manibus & pedibus fuit iussus mitti, (*Matth. 22.*) quia omnis in damnatis operativa virtus sic est ligata, ut nec meritorie operari, aut optare illis jam liceat. Merito igitur Sapiens nobis consulit, (*Eccle. 9.*) ut quodcumque potest facere manus nostra instanter operemur, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo omnes properamus. Sed quia hoc absque Dei adiutorio præstare non sufficimus, oremus Deum, ut nos adjuvet ad pœnitentiam congruo tempore faciendam, ut sic facientes, peccatorum indulgentiam promeremur, & tandem viam assequamur æternam, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

prolixā oratione indigeret, cum Deum à dextris suis haberet, qui illum continuo servabat, sed ut nos exemplo suo doceret, quid morte appropinquante agere debemus. Oportet enim tunc eo vehementius orare & prolixius, quo diabolus nobis fortiores adhibet tentationes. Tunc quisque exitum suum orationibus suis & aliorum fidelium munere debet, rogans Deum, ut exitum suum à dæmone custodiat, & ne permittat animam, quam pretioso sanguine suo redemit, lascivissimis bestis ad devorandum tradi. Intellexerat optime hoc mortis periculum David, qui Deum orans, in (Psal. 12.) dicebat: *Illumina oculos meos ne unquam obdormiam in morte, nequando dicat inimicus, prævalui adversus eum.* Laqueos, quos dæmon in morte parat, se pertimescere ostendit, qui se tunc illuminari, & à somno excitari petit, ne forte carnali aliqua delectatione tunc dormiens, aut ignorantia aliqua excæcatus, aptior sit, ut dæmonis insidiis decipiatur, aut tentationibus illius vincatur. Et in (Psal. 63.) iterum ait: *A timore inimici eripe animam meam.* Quomodo ergo virgulta stabant, si hoc pavoris turbine etiam cedri quantuntur? Si sancti dæmonis insidias in morte suspectas habent, qualiter peccatores fecuri esse poterunt? Si ii, qui venialiter peccant, tanto timore trepidant, quid facient illi, qui quotidie lethalia peccata committere non formidant? Si illi, qui armis bonorum operum, & longo virtutum exercitio instructi, adversus durissimam, quæ dæmon in morte offert, certamina, se posse stare non credunt, quomodo stabant peccatores inerimes, & omni virtutis auxilio profusus destituti? Difficilimum igitur est, ut qui usque ad mortem peccata protraxit, veram possit in morte illorum agere poenitentiam? *Verumtamen in diluvio aquarum multarum ad eum non approximabunt.* Nec tamē ob hanc causam morti propinquus, est in desperationem adducendus, neque hæc difficultas est homini morienti exponenda, sed viventi & sano, ut per illam ad poenitentiam procrastinatione revocetur. Morienti siquidem, illa ingerenda sunt, quæ in spem erigere possunt, & vacillantem animum corroborare. Manifestanda est illi immensa Dei misericordia, quæ nulli poenitenti non parcat, enumerandi sunt peccatores, & quidem quos potuerit sceleriores, quibus Deus pro sua immensa pietate pepercit. Revocandum est ad memoriam Petri peccatum: Pauli in Christianos persecutiones, Magdalene delicta, latronis denique usque ad mortem latrocinia protracta sunt referenda, quibus omnibus divina clementia non est parcere dedignata: quoniam usque ad ultimum vitæ hiatum semper est Deus misereri paratus. Hæc & similia sunt moribundo homini inculcanda, ne in desperationem metu severi iudicii ille adducatur. At contra, viventi, & bene valenti exponendum est, quam difficile sit, ut quis in agone constitutus, dignam suis peccatis poenitentiam agat, ut hoc timore coactus, respiciat, & sic sua peccata Sacerdoti confiteatur, timens, & quidem iuste, ne si usque ad mortem poenitentiam distulerit, eam tunc agere non possit. Age igitur poenitentiam dum potes, ne forte cum velis, mortis doloribus, & dæmone impediētibz non possis. Age dum sanus es. Age poenitentiam, quando peccare tibi liberum est, & tunc de peccatorum remissione securus eris: quoniam si eo tempore poenitentiam egeris, quo iam peccare non potes, veniam peccatorum tuorum tibi certam non facies. Hinc est quod in oblatione pro peccato illius qui juxta legis præceptum, (Levit. 5.) nec pecus, nec columbas, nec turtures offerre valuit, oleum in ea mittere, aut thus prohibetur. Ille pro peccato suo pecus offert, qui in bonis operibus exerceatur, qui corpus

suum, vigiliis, jejuniis, flagellis effigit, qui pauperibus misericordie opera impendit. Ille vero columbas aut turtures solas propter paupertatem offert, qui cum bona opera explere non possit, suam impotentiam deslet; nec enim jejunare, aut vigilare, aut elemosynam dare sufficit, sed pro eo, quod non potest, dolet, paratus tamen præstare, si possit. Et hujusmodi tales, qui bonum, quod affectant, exequi non valent, pro hac sola bona voluntate sua divine reconciliationis mercedem recipiunt. Sunt tamen aliqui tam pauperes, qui neque hoc etiam ad offerendum pro sui peccati remissione impetranda habent, veluti sunt illi, qui, morte appropinquante, pro multis, quæ contra Deum commiserunt peccata, nullam habent, aut boni operis, aut bonæ voluntatis oblationem, quam Deo possint offerre. Sed quia dum supersit vita præsens, non est homini interdici emendatio, & per consequens peccatorum remissio, ideo adhuc oblationem, quamvis pauperimam, tunc illi offerre conceditur, suorum videlicet plenam peccatorum confessionem. Sed oleum in ea non mittitur, quia talibus, qui usque ad mortem confiteri differunt, certa misericordie spes promitti non potest. Nam confessio sola, quam boni operis fructus, aut interiores gemitus non comitantur, dubiam faciunt peccatorum remissionem. Thus etiam in tali oblatione apponi non permittitur, quia his, qui ejusmodi sunt, orationis fiducia subtrahitur. Qui enim malam vitam emendare, aut male desistere neglexit, congruum est, ut indignum se Dei misericordia censeat, nec impudenter, & aperta fronte eam sibi conferri oret. Petat tamen, sed quasi non petens, speret, sed quasi desperans. In Dei sola misericordia fiduciam habeat, de suis meritis desperet. Inter spem itaque & metum collocatus, Deum oret, ut dimittat quod conscientia metuit, & adjuviciat quod oratio non presumat. Non permittit ergo Deus, ut pauper iste oleum aut thus in oblatione sua apponat, quia non vult Deum, ut is, qui usque ad mortem poenitentiam distulit, de certa indulgentia præsumat, aut illam libera fronte sine metu & reverentia petere audeat: quoniam ejus peccati postulat remissionem, pro quo dignam non præbet satisfactionem. Vult ergo Deus etiam peccatorem, qui usque ad mortem peccata protraxit, spem aliquam divine misericordie, si convertatur, habere; sed ut peccatores ad poenitentiam statim agendum cogat, non vult certam misericordie spem tribuere. Dimittite ergo in certum, o peccatores, & quod certum est, capite. Si poenitentiam in bona valetudine egeritis, remittet vobis Deus. Si autem in mortis articulo illam feceritis, an Deus remittat, certum non habeo: quoniam incertus sum, an digna tunc sit poenitentia. Dum corpore valetis, poenitentiam agite. Dum peccare potestis, pro peccatis vestris orate. Peccata vestra dimittite, non expectetis, ut vos illa dimittant. Non vos timor mortis ad peccatorum confessionem compellit, sed amor æterni regis allicit. Et si ita peccata vestra fueritis confessi, haud dubie peccatorum remissionem impetrabit per merita Jesu Christi Salvatoris nostri, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

HO

HOMILIA XIV.

Verumtamen in diluvio aquarum multarum ad eum non approximabunt.

ECCB adsum promissioni meæ, ut de extremo illo & horrendo iudicii die, in quo tanta erit tribulationum multitudo, ut merito illud diluvio aquarum multarum comparari possit, præsentem versiculum exponamus, & doceamus, illum temporis articulum ad remissionem peccatorum impetrandam esse profusus ineptum. Nam me hoc hæsterno sermone promississe memini, & reddendi tempus profusus hoc tempus est, quo omnes vos ad audiendum jam convenistis, expectantes, quid tandem hæc mea promissio paritura sit. Ut autem quod dicimus, vobis persuadere possimus, exoratos vos esse velim, ut aures mihi præbeatis attentas. Iudicium ultimum, simile futurum diluvio Salvalor noster aperte satis expressit, cum apud Mattheum (cap. 14.) dixit: *Sicut autem in diebus Noe, ait, erit & adventus filii hominis.* Sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes & bibentes, naves, & nuptii tradentes usque ad eum diem quo intravit Noe in arcam, & non cognoverunt donec venit diluvium, & tulit omnes: ita erit & adventus filii hominis. Quia ultimum iudicium improvidos consumer peccatores, ideo illud simile fecit diluvio, quod tempore Noe omnes fere homines incautos oppressit. Tunc illi aquarum multitudine eos suffocante perierunt: & in ultimo iudicio tribulationibus variis inundantibus peccatores affligentur, & quasi consumantur. Omitto eas, sed illos perpetuo manent, & ad quas sine fine tolerandas tunc damnabuntur: quoniam de his, alium (Deo duce) super alium versum postea habebimus sermonem. De illis solum disseram, quæ in ipso iudicii actu oboriuntur. Prima quidem doloris pars, & non parva, erit subita ad iudicium vocatio: quando etiam qui in monumentis sunt, audient vocem filii Dei, dicentis: *Surgite morti, venite ad iudicium.* Quæ quidem vocatio non per intervalla fiet. Non dabuntur induciæ, nulla erit præsolatio, sed subito, ut jam non sit locus poenitentiae, sed iudicii. Unde Paulus ait (1. The. 5.) *Quando dixerint pax & securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus.* Quæ quidem citatio tanto majorem dolorem & turbationem peccatorum cordibus inferet, quanto magis improvidos illos intercipiet: quoniam (ut recte beatus Gregorius dixit) minus jacula feriunt, quæ prævidentur, quo fit, ut contra etiam, magis illos tormenta affligant, quos nullo providentiae clypeo munitos invenerint. Hanc autem dolorem & turbationem augebit ipsa comparandi necessitas: quoniam tunc nulla proderit excusatio, non erit locus, quo se possint abscondi, nullum erit tutum refugium, nullus qui illos recipere velit, sed velint nolint, omnes manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit. (2. Corinth. 5.) Nullus medio alicuius respondebit, nullus pro alio intercedet, nullus juvabit alterum, sed pro se unumquemque rationem reddere oportet. Illos sic vocatos, & coram iudice adstantes, mirum in modum terrebit nimia iudicis severitas, & illius irata facies. Deus manifeste veniet, Deus noster, & non stabit. Ignis in conspectu ejus exardescet, & in circuitu ejus tempestas valida. (Psal. 49.) Manifeste veniet, non occulte, ut olim. Non enim tunc majestas illius erit occulta, non abscondita potentia, sed manifestus erit omnibus, ut sciant simul esse Deum & hominem. In conspectu ejus

ignem exardescere dixit, ut peccatoribus timorem incutiat, ne tamquam paleæ ab illo consumantur. In circuitu illius tam valida est tempestas, ut tamquam turbo vehementis omnes superbiae montes evertat, omnes petras conterat, omnes elatos dejiciat atque profrenat. Tunc non stabit ut olim, quando cum malediceretur non maledicebat, cum pateretur non comminabatur. Sed tamquam agnus innocentissimus coram tondente se obmutat. Loquentur enim tunc & arguet peccatores, & quo in hoc sæculo & vita præsentis patientior fuerat peccata dissimulans, longanimior ad poenitentiam expectans, benignior peccatis nostris indulgens, liberalior & magnificentior gratiam post remissionem peccatorum conferens, & in proximam amicitiam recipiens, eo tunc in iudicio severior erit ad increpandum, gravior ad audiendum, celerior ad exequendum, durior ad miserandum. Erunt enim peccatoribus tam iratus, ut nullis aut precibus aut lamentis placari possit. Tam durus, ut à recta & horrenda, quam decrevit dicere sententia ullatenus flecti non possit. Unde ipse ait: (Ezra. 42.) *Tacui semper, sicut paries loquar, dissipabo & absorbebo simul. Tempus tacendi* (ait Sapiens Eccl. 3.) *& tempus loquendi.* In hac vita tacuit, in iudicio loquetur, & sic loquetur, ut tonare videatur. (Job. 26.) *Quis tunc tam ferreus auditor, ut tonitruum magnitudinis illius possit audire? Vox quidem tonitruum illa, qua peccatores igni perpetuo adjudicabit, eremandos quidem, & nunquam consumendos. Hoc est tonitruum illud, de quo Propheta in (Psal. 103.) ait: *A voce tonitruum tui formidabunt.* Et iterum (Psal. 76.) *Vox tonitruum tui in rota.* In rota erit, quia omnium circumbit aeres, ut ab omnibus possit audiri. Tantos erit iudicantis alioqui mirissimam furor, tamque severus vultus, ut sancti etiam aspectum illius reformident. Sanctus enim erat Job, quem cor suum non reprehendebat in omni vita sua, & tamen dicebat: (Job. 14.) *Quis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me, & abscondas, me donec pertranseat furor tuus, & constituas michi tempus in quo recorderis mei? Libenter qualibet poenas ad tempus acceptaret, ne furorem ultimi iudicii videret. Et Malachias Propheta (cap. 3.) ait: *Quis poterit cogitare diem adventus ejus? & quis stabit ad videndum eum?* Si cogitare præ potentia majestatis ejus nemo potest, videre quis poterit? Si solam figuram aut umbram vultus ejus populus Israel à monte Sina timore perterritus sustinere non potuit, (Exod. 20.) quomodo tunc verum illius vultum sustinere poterunt peccatores? Tam terribilis erit peccatoribus severi iudicis aspectus, ut (juxta Prophetam Psal. 79.) ab inbreptione vultus illius pereant peccatores. Illos igitur sic coram iudice constitutos alia non minor comprehendit poena, omnium scilicet delictorum suorum divulgatio, ita, ut secretissima quæque, quorum solus ipse peccator conscius est, omnibus pateant. *Illuminabit enim tunc Dominus abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.* (1. Corinth. 4.) Sic enim Dominus per Prophetam Nahum (cap. 3.) minatur, dicens: *Et revelabo pudenda tua in faciem tuam, & ostendam gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam, & projiciam super te abominationes, & erunt melius te afficiam, & ponam te in exemplum.* Nec parva est hæc poena, præsertim illis, qui aliquam famæ suæ rationem habent. Nam honestus homo sua etiam pudenda videre erubescit, magis autem veretur videre aliena, sed multo magis perhorrescit ab aliis conspici sua. Ut autem hæc poena digne (ut decet) pensetur, cogitemus quanto mulier honesta & pudica rubore perfunderetur (huic enim sexui insita magis est verecundia) si af-**

tur portus, bonumque & optimum dicitur navigantibus refugium. Talis est per omnia Deus. Habet quidem ille facilem & patentem ad se aditum: quoniam ut ad illum accedere possimus, non est opus intercessoribus, per se quisque accedere potest, modo firma in illum fiducia accedat. Non esse pecunia aut aliis muneribus redimendus accessus, quemadmodum apud Reges & Principes sæculi huius contingere solet. Nam ad hos si pro iustitia obtinenda, aut pro alio negotio te accedere est necessarium, pecunia, aut favore accessus ad illum te emere oportet; unde convincitur, illos non esse bonum afflictis populi refugium. Qua in re longe sunt dissimilimi Deo, cuius loco præsentent, & populum iudicant. Ille enim non solum non impedit, sed potius adjuvat ad se venire cupientes, & brachiis in cruce extensis invitat illos. *Eum qui venit ad me* (inquit ille *Joan. 6.*) *non efficiam foras.* Nemini umquam obstitit ille, quo minus ad se accedere possit, immo potius contra, cupit omnes ad se venire, omnibus subvenire optat, omnes à tribulationibus eripere vellet. Quod autem non omnes eripiatur, inde evenit, quia non omnes ad illud confugiunt. *Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit.* (*Joel. 2.*) Capacissimum est etiam refugium Deus, qui nulla quamlibet numerosa confugientium ad eum multitudine gravatur. Nam si omnes quotquot ab initio mundi præcesserant, & quotquot ad finem usque sæculi huius futuri sunt homines simul in Deum pro refugio habendo confugerint, mirum in modum lateretur, tantum abest, ut illum quevis multitudo premeret, aut illi molestiam ullam inferret. *Vult siquidem ille omnes nos salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* (*1. Timoth. 2.*) Non est sensus illius, ut nosser, qui intencus pluribus, ad singula minor est, sed par est illi potestas ad præstantiam singulis subventionem, etiam si admodum multi ad eum confugiant, ac si paucissimi. Veram ut absolutam huius portus bonitatem ostendamus, docere oportet, quo pacto qui ad illum confugiunt, sint ab omni prorsus vento & tempestate securi. Est enim ille omnia in omnibus, ut omnium possit subvenire necessitatibus. (*Eph. 1.*) Quæcumque igitur infurgat tribulatio, ad illum fugiamus: quoniam ille habet quo valeat nos ab illa protegere. Si famem fugimus, ille cibum est, qui potest animas & corpora nostra reficere, (*Deuter. 9.*) qui Moysen quadraginta dierum spatio, absque ullo alio corporeo cibo, solo suo colloquio sustentavit. (*Exod. 17.*) Si sitim patieris, ad Deum fuge, ut poteris torrente voluptatis illius: quoniam ille in terra deserta & iniqua novit de petra dare sitientibus aquam tam abundantem, quæ sexcentis millibus hominum & illorum jumentis sufficeret. (*Ecl. 4.*) Si à morbo liberari optas, ille medicus est & medicina, qui sanat omnes infirmitates nostras, qui redimit de interitu vitam nostram. Si carcerem & vincula, quibus captivus teneris, exhorres, ille est, qui de carcere carenque interdum educit ad regni fastigium, cuius rei vel unicus ille Joseph poterit testis fidelissimus esse. (*Gen. 41.*) Si tyrannicam potentis oppressionem doles, ille est, qui eripit pauperem à potente, & inopem cui non erat adjuvor, qui filios Israel de durissima Pharaonis servitute liberavit. (*Psal. 71.*) Si tristitiam fugis, quo melius te recipies, quam in Deo, qui est nostrum gaudium, qui tali perfudit lætitia habitantes in eo, qualem mundus nec dare sufficit, nec ab illis auferre? Si errare times, ille dux est, & vita. Si tenebras odis, ille lux vera est, in quo tenebræ non sunt ullæ. (*Joan. 10.*) Si mortem denique pertimescis, ad illum fuge: quoniam ille vita est, qui postquam occiderit, vivificare novit. (*1.*

Joan. 1.) Si à peccato, cuius servus es factus, velut à maxima omnium tribulatione eripi cupis, ad Deum fuge, & liberaberis: quoniam ille est, qui peccata remittit, ille est qui tollit peccata mundi. (*Deuter. 32.*) Optimum igitur refugium Deus, qui omnes ad se venientes recipit, & receptos protegit à quacumque illi molestantur tribulatione. Est enim Deus simillimus arbori illi, quam Nabuchodonosor Rex in somnis vidit, (*Dan. 4.*) in qua erat omnium esca, subter eam habitantes bestie agri, & in ramis ejus commorantes aves cæli. Esca omnium indigentias suppleret possit. Et ob hanc causam oculi omnium in illum spectant, & ipse dat illis escam in tempore opportuno. (*Psal. 144.*) Bestie agri, quæ subter illam habitant, peccatores sunt terrenis inhabitantes, qui peccatum more vivunt. Volucres cæli sunt iusti, qui licet corpore in terra derinentur, animo tamen jam in cælo commorantur. Hi & illi ex hac arbore pascuntur, quia Deus iustos & peccatores alit: qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. (*Matth. 6.*) Pascit etiam utroque melioribus aliis cibis, cum tribuit peccatoribus suorum veniam peccatorum, & iustis gratiam, qua vitam promereri possint æternam, largitur. Generale igitur refugium est Deus, qui omnes protegit, & ab omni tribulatione. Quos autem ille protegendos suscipit, sic tuti sunt, ut nihil illis nocere possit, tam securi, ut nulla sit tam horrenda tribulatio, quæ illis metum incurere possit. Posuit enim ille altissimum refugium suum in loco tam munido, ut nullus merito possit hostis timeri. (*Psal. 90.*) Non accedet illuc tentator, nullus calumniator ascendet, non illic ille fratrum accusator attingit, qui accusat fratres suos die ac nocte. (*Apo. 12.*) Esto accedere possit, nocere tamen non poterit. *Dominus illuminatio mea & salus mea* (Propheta inquit *Psal. 26.*) *quem timebo? Dominus protector vitæ meæ à quo trepidabo?* A nullo certe timere convenit, qui Deum habet protectorem; non ab hominibus, non à mundo, non à carne, non denique à diabolo, cuius potestas est tanta, ut nulla sit super terram, quæ illi valeat comparari. Quæ enim ratione timere poterit, si inimici, qui illum rabido furore persequantur, corruerunt, & debiles facti sunt? Quæ causa timendi, si hostes, qui impugnant, quo magis appropriant ut nocent, eo magis infirmantur & cadunt? Et ideo causam suæ securitatis exprimens, subjungit: *Dum appropriant super me nocentes, ut edant carnes meas, qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt, & ceciderunt.* Securus igitur est & tutus quisquis in adiutorio Dei altissimi habitat, & in protectione illius commoratur. Prudens igitur David fuit, cum tale elegit refugium, in quo tutus posset, & sine ullo hostium timore commorari. *Tu es refugium meum à tribulatione, quæ circumdedit me.* Tu ergo quisquis es o homo sive iustus, sive peccator, Davidem imitare, & dic Deo, *Tu es refugium meum à tribulatione quæ circumdedit me.* In omni tribulatione, in omni angustia, in omni necessitate, in quacumque tentatione constitutus fueris, si ab illa celeriter & fortiter eripi cupis, ad Deum confuge, illius implora auxilium, & dic illi: *Esco mihi in Deum protectorem, & in domum refugii: quoniam sortitudo mea & refugium meum est tu, & propter nomen tuum deduces me, & enutries me.* Tu esto refugium meum, qui ad te solum confugio, te solum invooco, tuum solum adiutorium opto: quoniam satis mihi esse cenfeo. *Deus in adiutorium meum intende. Domine ad adjuvandum me festina.* (*Psal. 69.*) *Miserere mei Domine, miserere mei, quia in te confidit anima mea.* (*Psal. 61.*) In

te, inquam, confidit anima mea, non in principibus, aut filiis hominum, in quibus non est salus. In te cantatio mea, in te consolatio mea, in te tota fiducia mea. *Tu solum refugium meum à tribulatione, quæ circumdedit me.* Cum liberatus fueris à tribulatione, agnosce beneficium, recole pietatem, & dic illi: *Gratias tibi ago Domine, quoniam aperuisti mihi domum refugii tui, expandisti sinum pietatis tuæ.* Ostendisti viscera miserationis tuæ. Tu fuisti refugium meum à tribulatione peccati, quæ me circumdabat; sub alis tuis me protexisti, & talem me reformasti, ut vitam possim assequi æternam, per merita Jesu Christi filii tui qui tecum & cum Spiritu Sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XVI.

QUI alicuius clementiam largissimamque liberalitatem, absolutam denique bonitatem jam pluries expertus est, quoties aliqua deinceps ingruerit talis necessitas, quæ alieno auxilio & favore egeat, ad illum, cuius bonitatem jam probe exploratam habet, tamquam ad certissimum asylum semper confugiet. Fatuum enim esset explorata medicamina, & multis argumentis comprobata relinquere, ut aliorum pharmacorum virtutem cum vitæ discrimine experiatur. Tutius est semper, præsertim in rebus gravibus, certa præponere incertis. David olim jam divinam bonitatem sæpe fuerat expertus, quæ illum tot angustis vallatum, tot tribulationibus cinctum, illæsum ab omnibus semper servavit, præsentissimum illi favorem & auxilium in ipso tribulationis articulo præstans. Nam Deus illi auxiliatus est in bello, quo adversus Goliath robustissimum Gigantem pugnavit. (*1. Reg. 17.*) De manibus Saul sæpissime liberavit illum. Semel enim & iterum Saul jecit lanceam in David, putans quod configere illum posset cum pariete; lancea tamen semper castro vulnere perlata est in parietem, Deo ita disponente, ut David incolumis evaretur. Deinde cum Saul pararet insidias ut capere & occidere posset David, Jonathas Saulis filius indicat Davidi patris insidias, & sic liberatus est. (*1. Reg. 19.*) Videns Saul suo consilio se fuisse frustratum, iterum cogit illum in lecto interficere, sed Michol Saulis filia, Deo ita providente, servat David conjugem suum, per fenestram illum dimittens. Sed Davidem fugientem & habitantem in deserto Maon persequitur adhuc Saul, illum multis armatorum millibus sic in modum coronæ circumcingens, ut David jam desperaret se posse evadere à facie Saul, verum tunc Deus Davidis curam gerens, Philistæos adversus Saulem immitit, ut illis Saul occurrerens, Davidem persequi desistat. Et ita Deus hoc consilio Davidem iterum liberavit. Mortuo denique Saule, & sic de manibus illius Davide servato, ecce alius hostis, & quidem eo magis Saule pessilientior, quo magis illum naturæ jure diligere tenebatur. Absalon enim filius Davidis insurrexit contra patrem, illum regno simul & vita privare contendens. (*2. Reg. 15.*) Sed sicut Deus liberavit Davidem de manu Saulis, ita etiam eripuit illum de manibus Absalon. Nam Absalon mortuo in bello, quod adversus patrem gerebat, David in regiam dignitatem restituitur. Toties denique Deus servavit Davidem, ut operosum esset omnia quæ Deus illi præstitit auxilia, in præsentiarum recensere. Sed præter hæc omnia his omnibus longe majus periculum fuit, cum propter peccata adulterii &

homicidii, quæ olim contra Uriam commiserat, sub diaboli miserima servitute fuit constitutus. Et hæc tanto facit reliquis omnibus major pressura, quanto plus est animæ timendum, quæ corpori, & quanto diaboli potestas major est, quam cuiusvis alterius hominis quamlibet potentis atque robusti. Sed cum tanta esset David vallatus angustia, ad Deum confugit, misericordiam ab illo petens, & dicens: (*Psal. 50.*) *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam.* Et tunc sicut nec alias, repulsam non sustinuit, immo omnium suorum peccatorum veniam est consecutus. David ergo, nunc sevientem tempestatem sibi imminere prospiciens, ad Deum, cuius immensam pietatem toties jam fuerat expertus, tamquam ad tutissimum portum confugit, auxilium illius implorans, & dicens: *Exultatio mea erue me à circumdantibus meis.* Ut autem quod perit facilius impetrare valeat, vide quam artificiose suam exordiat petitionem, dicens: *Exultatio mea.* Omnes enim, qui de oratore instituto felicitate tractaverunt, docent petitionum exordia aptissime sumi, aut à gratiarum actione, aut à laude illius, ad quem habetur oratio, quod hoc & illo modo benevolentiam illius, à quo aliquid petere statuit, facile sibi conciliat orator. Nam qui beneficia recepta aut non agnoscit, aut vicem illis reddere recusat, indignus est, cui alia in posterum reddantur. Ingratitudo enim omnium beneficiorum fontem, quamvis uberrimum & largissime manantem, deficcere solet. Contra vero gratitudo, quoniam hæc ad plura beneficia præstantia donantis animam quasi stimulare videtur. Laudes etiam testes quidam sunt animi bene affecti erga illum, qui laudatur: quoniam sic natura comparatum est, ut quem amas, & laudes. Hæc igitur oratoria artis præcepta non erant Davidi prorsus ignota, quippe qui à Spiritu Sancto supremo omnium doctore, melius illa didicerat, quam à Cicerone, aut à Quintiliano, aut Demosthene, aut ab alio quamlibet docto & experto artifice quivis alius homo doceri potuisset. Propter quod ipse alibi (*Psal. 116.*) ait: *Laudans invocabo Dominum.* Laudibus se invocaturum statuit, propterea quod eredit se hac via facilius petita impetrare posse. Nam hoc sequentia verba aperte indicant, quibus ait: *Et ab inimicis meis salvus ero.* Ad hoc enim Deum invocare decernit, ut ab inimicis suis liberetur. Et quia firmissime in Domino confidebat, quod laudibus Dominus invocatus, petita minime denegabit, ideo subdidit: *Et ab inimicis meis salvus ero.* Ad hunc modum in præsentiarum David petitionem suam componit. Nam postulaturus se eripi ab his qui circumdant eum, prius accepta beneficia agnovit, dicens, *Tu es refugium meum à tribulatione quæ circumdedit me.* Nam his verbis (prout ego existimo) nihil aliud egit David, quam ut beneficia à Deo recepta agnosceret, & illorum se non esse immemorem illi ostenderet. Cum vero deinde subdidit, dicens: *Exultatio mea erue me à circumdantibus meis:* indicavit se pro beneficiis receptis gratum Deo præstare animum, & se bene erga illum esse affectum. Nullus enim exultat nisi in ea re, quam ardentissime amat: quoniam etiam quilibet amor potens sit efficere lætitiæ de re amata, non tamen quilibet amor satis est ad exultationem, sed amor ardens, & sui impotens. Hoc enim exultatio superat aliam lætitiæ, quod hæc propterea quod ex remisso amore oritur, intra cordis angustias se continet, ibique lætans, exterius ad corpus non egreditur. At exultatio, cum ex immo dico amore procedat, seipsam cohibere non potest, ut non se prodatur exterius prorumpens, ita ut simul corpore gelat, & corde lætetur. Talem lætitiæ in Deo habent beati, sicut alibi idem

Propheta ait: (Psal. 117.) *Vox exultationis et salutis in tabernaculis iustorum.* (Psal. 149.) *Tunc enim exultabunt sancti in gloria, letabuntur in cubilibus suis.* Tunc quidem exultabunt, quia tunc Deum plene ex toto corde, & ex tota mente, & ex tota anima, & ex totis viribus diligunt. Tunc tam effusa erit in eis letitia, ut ex toto corpore & corde latentur. Tunc Deus beatos omnes sic adimplebit letitia cum vultu suo, ut nulla sit corporis pars, quae non gestiat letitia, nulla etiam animae vis aut portio, quae non ebulliat gaudio & exultatione. *Tunc duplicia in terra illa possidebunt.* (Esa. 61.) *Duplicia quidem possidebunt, quia corpore simul & corde letabuntur.* Sed haec in terra sua illis contingunt, in qua exultant, non in peregrinatione ista, in qua a terra sua exultant. In gloria quidem exultabunt plene sancti. In hoc autem mundo aliqui sanctorum exultant in Domino, quamvis non ita plena letitia quemadmodum in gloria. Nam virgo gloriosa cum intra uterum suum, filium Dei hominem factum se gestare certo cognovit, praenimia letitia caecinit, dicens: *Exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.* Merito quidem exultavit, quae tantam habuit exultationis occasionem. Nam videbat iam humanam redemptionis initia. Cernebat se ex ancilla Domini factam sponsam Dei patris, ex virgine matrem, tali temperamento factam, ut ad matris dignitatem ascendens, virgineam pudicitiam non amiserit. Conspiciebat se ad tam sublime dignitatis fastigium exaltatam, ut certo sciret ab omnibus generationibus beatam praedicandam. Sciebat enim se Dei & hominis matrem, per quem omnibus hominibus erat salus restituenda, & via ad caelestem patriam pendenda. Merito ergo exultat spiritus virginis in Deo salutari suo, hoc est, in Dei filio facto homine. Nam ille solus fuit salutare nostrum, qui solus pro hominibus moriens, morte sua operatus est salutare in medio terrae. *Talem letitiam in Deo capiebat David, qui alibi ait: (Psal. 34.) Anima mea exultabit in Domino, & delectabitur super salutari suo.* Alii letantur cum male fecerint, & exultant in rebus pessimis. Alii letantur super multis divitiis suis. Alii exultant ad ruinam inimicorum suorum. Alii eo quod invenerint spolia multa. *Anima autem mea (inquit David) exultabit in Domino, & delectabitur in salutari suo.* Olim cum eram peccatis irretitus, cum indulgebam delictis, & effrenatus curriebam post illas, exultabam in peccatis meis, & delectabar in illis; nunc autem, Deo miserante, sapientior factus, peccata mea cognovi, & amara esse coeperunt, quae cordi meo (tamquam pallato infecto) male dulcia prius fuerant. Et ob hanc causam jam non in illis exulto, sed diebus ac noctibus in illis lugeo. Nihil est jam quod me exultare faciat, nisi solus Deus. Postquam enim illius bonitatem & suavitatem vel summis labiis gustare coepi, omnia alia insipida, & amara esse coeperunt. Ac propterea dico, quod deinceps anima mea exultabit in Domino, & delectabitur in salutari suo. Exultabit in Domino, quousque illius immensae bonitatis recordabor, quoties in mentem venerit quanta & qualis mihi praestiterit beneficia, quomodo me peccantem sustinuit, quo pacto per suum Proprietarium me ad poenitentiam mutavit, quam benigne me poenitentem recepit, receptum denique quam magnifice & liberaliter tractavit. Quoties horum recordabor (recordabor autem semper) toties anima mea exultabit in Domino, & delectabitur in salutari suo. Haec David. Et propter hanc causam nunc jam peccati remissione accepta, Deum alloquens, ait: *Exultatio mea.* Ac si diceret. In te solum gaudeo, tu solus mihi es causa letitiae & exultationis. Nam exultatio mea dixit pro eo, quod est

materia & causa exultationis meae. Sicut enim alibi etiam dixit: (Psal. 90.) *Tu es spes mea*, hoc est, scopus, in quem omnis spes mea tendit, quia in te solum confido. Ita etiam nunc ait: *Exultatio mea*, hoc est, causa exultationis meae. Quibus verbis vim & impotentiam sui erga Deum amoris ostendit, ut vel si illius animus demulceret, & placabiliorem ad petitionem redderet. Consideratis petitionis exordium, attendite obsecro iam petitionem ipsam. *Erue me*, inquit, *à circumdantibus me.* Non peccata praeterita sibi remittit, sed à futuris, in quae labi poterat, liberari. Nam de praeteritorum remissione iam securus erat, qui superius dixerat: *Tu remisisti impietatem peccati mei.* Ideo nunc non dicit, miserere mei, aut suscita me, sicut alias, sed ait: *Erue me à circumdantibus me.* Qui ab uno periculo liberatus fuerat, prospiciet multa alia non minora pericula sibi imminere, quibus resistere, cum se impotentem agnoscat, ad divinum auxilium gembundus confugit, dicens: *Exultatio mea erue me à circumdantibus me.* Exultat ergo de peccati praeteriti remissione; gemit propter metum imminenti periculi, timens, ne in peccatum relabi contingat. Exultat, quia de priori evasit periculo, gemit, quia timet ne succumbat in alio. Sic etiam omnem poenitentem facere oportet, ut sic de praeteritorum poenitentia exuliet, ut non sit tutus & sine trepidatione futurorum. Qui navigant mare, & sciunt pericula ejus, & si exultant cum vident se scyllam evasisse, timent tamen cum sciunt sibi superesse charybdim, ac proinde nunquam est illis vera & perfecta exultatio, quousque pervenerint ad portum. Qui etiam sunt in belli conspectu, cum unum aliquem prostraverint hostem, letabundi exultant, non tamen sine metu & trepidatione, quia vident adhuc hostes superesse, quos merito timere oportet. Quamdiu in hoc mundo versamur, quasi in quodam continuo certamine sumus. *Militia* (inquit Job cap. 7.) *est vita hominis super terram.* Et in hac militia non est nobis collocatio dumtaxat adversus carnem & sanguinem, sed etiam adversus Principes mundi hujus, & rectores tenebrarum harum, adversus vitia & peccata, & daemones illorum Principum. Qui in hoc certamine unum aut alterum vitium prostraverit, merito poterit exultare in Domino, sic tamen, ut sciat se posse ab illo, aut à quovis alio iterum vinci. Quapropter quamdiu tempus hujus certaminis durat, semper divinum oportet implorare auxilium, ut nobis lapsis opem ferat adversus hostes nostros, quos sine illius auxilio minime superare poterimus. Sit nobis exemplar Rex David, qui de adulterio & homicidio, quibus ante fervierat, ereptus, non confidens de futuris tantum, ad Deum pro auxilio impetrando se convertit, dicens: *Erue me à circumdantibus me.* Quod & de peccatis, & de daemonebus, & de hominibus publicis inimicis intelligi potest. Nam ab his omnibus homo in hac vita circumdatur, ut ad terram pertinetur, & non relinquatur in spirituali illius structura lapis super lapidem. Tot sunt hostes qui nos circumdant, ut cum Job (cap. 19.) dicere possumus. *Obsederunt in gyro tabernaculum meum.* In gyro obsident, quia ab omni parte patent tentationes. Nulla est pars ab hoste libera. Hinc caro cum sua tota illecebrarum militia nos impetit, illinc mundus cum suis hominibus oppugnat, alia ex parte quasi ex alto daemon invadit, & suis astutis subtilissimis mentem perforare nititur, ut ad illam penetrare valeat. Merito ergo quisque tantam hostium multitudinem circumspiciens, Davidem imitatus dicere poterit. (Psal. 3.) *Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me.* (Psal. 55.) *Multi insurgunt adversum me.* Multi quidem bellantes ad-

ver-

versum nos. Oppugnamur ab hominibus fere omnibus. Aliqui suo malo exemplo nos oppugnant, nam qui male coram alio agit, illum ad simile agendum non solum allicit, sed impellit. Alii malis suis verbis nos ad peccatum trahunt: quoniam (ut Apostolus ex Poeta citat 1. Corinth. 15.) *corrumpunt bonos mores colloquia prava.* Alii peccati occasionem offerunt, & horum major pars, quoniam in hoc genere belli, nulla tuta fides, cum raris sit, qui nobis causam peccati non praestet, & ideo nulli fidendum, praeterquam soli Deo: quoniam solus ille verus & fidelis amicus, reliqui autem omnes, saepissime faciem praetendere videntur amici, re tamen bene (ut decet) perspecta, hostes sunt acerbissimi. Nam hostes sunt vicini, cognati, fratres & parentes, filii. Vicinorum siquidem confuetudo saepe noxia fuit. Fratres invidia vexati, testes sunt Abel & Joseph. (Gen. 4. & 38.) Haec discordiam inter fratres irconciliabilem saepenumero parit, adeo, ut (juxta Aristotelem) fratrum discordia sit omnium acerbissima. Parentes indulgentia nimia filios laedunt: quo fit, ut dum se nimium diligere credunt, filios odiant: quoniam (ut Sapiens ait Prov. 13.) *qui parit virga, odit filium suum.* Quid de filiis loquar? Hi certe sunt plerumque suorum parentum hostes crudeliores, dum illis obsequuntur, & omnibus illorum parent mandatis, quam dum reluctantur. Nam his amatoris venenis parentes suos sic filii dementant, ut sui comites illi non sint, neque aliqui nisi ad filiorum numum agant, nil aliud, quam de filiis cogitent, illos toto corde, tota mente, tota anima diligant, illos veluti Deum adorent. Ut illorum augeant patrimonium, Deum contempnunt. Deum derelinquunt, ut illis magnas congregare valeant divitias, quas illi prodige postea effundunt, aut suis exigentibus demeritis amittent. Non possunt hostes gravius hostibus nocere, quam filii parentibus suis saepissime nocent. Post hos omnes succedit caro, magno satelinitio variarum cogitationum comitata, & haec eo periculosior est hostis, quo magis domesticus. Minus enim cavetur, & ideo magis potest incautos opprimere. Deinde cum non à foris veniat, sed nobiscum habitat, & intra domum latet, potest continuo sine cessatione nocere. Hic est ille angelus satanae, qui Paulum sine intermissione colaphizabat. (2. Corinth. 12.) Dicitur est autem angelus satanae, quia daemone instigante, saepenumero caro movetur. Nam (ut est apud Job cap. 12.) *halitus ejus prunas ardere facit.* Et quia sine cessatione vexantem tolerabat, ideo ter Dominum rogavit, ut aufereret ab eo. Sunt alii multo & potentiores & callidiores hostes, qui nos undique & quotidie circumdant, semper observantes, quia via nocere possunt. Daemones hi sunt, quorum potentiam Job explicans, (cap. 41.) ait: *Non est potestas, quae comparet ei, qui factus est, ut neminem timeat.* Astutia illorum est tanta, ut sicut bestia ante hominem, sic ante daemone sit astutissimus hominum. Propter hoc enim (ut ego existimo) daemones dicuntur venatores in scriptura sacra: quoniam nos ad illorum astutiam relati, bestiae sumus illorum venationi expositi. *Ipsi liberavit me* (inquit David Psal. 90.) *de laqueo venantium.* Daemones propter illorum in decipiendis & capiendis hominibus astutiam, appellavit venatores, à quorum laqueis, quia se propriis viribus eripi posse non credit, in adiutorio altissimi habitare, conatur, & in protectione Dei caeli commorari. Nam quia suis viribus diffidit, auxilium nunc implorat divinum, dicens: *Exultatio mea eripe me à circumdantibus me.* Nec fide dubia & vacillante petit, sed firmissimam spei anchoram in Deo

figens, de exauditione certissimum Deum orat. Unde alibi ait: (Psal. 20.) *Respice inimicos meos, quoniam multiplicati sunt, & odio iniquo oderunt me.* Si unus aut alter tantum esset hostis, forsitan cum illo quis manus conferere auderet, sed tam multi sunt, ut stellas caeli, & maris arenas, & pluviae densissimae gattas superare valeant. Deinde cum tam multi sint, non tepidè aut remissè se insequuntur, sed odio iniquo oderunt nos. Quis igitur tantae virtutis erit, ut contra tot talesque hostes infracto animo certare possit? Custodi tu igitur animam meam, & erue me. Nisi enim tu custodieris, frustra vigilabunt omnes qui illam custodire conantur. Tanta autem fiducia hoc à te peto, ut certus sim, quod non erubescant, quoniam speravi in te. Erubescit qui petitionis suae repulsam sustinet. At ego, qui certus sum me impetraturum quod peto, erubescere non timeo, quoniam in te speravi, qui numquam deseris sperantes in te. Deus igitur, qui benignus & misericors est, sic invocanti, & in illo speranti, statim auxiliare copias mittit: quoniam fidelis est, qui non patitur nos tentari supra id quod possumus. Primo quidem omnium Deus peccatorem in tentatione positum confortat, dicens: (Psal. 26.) *Viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum.* Deinde virtute tanta illum ex alto induit, ut contra omnes hostes (quamvis fortissimos & iniquissimos) intrepide ille pugnare possit. Duos è suo exercitu milites fortissimos illi mandat, quorum auxilio munitus, nunquam in certamine quamlibet duro homo succumbere poterit. Timor & amor hi sunt. A dextris protegit amor, à sinistris defendit timor. *Qui timet Deum* (inquit Sapiens Eccl. 7.) *nil negligit.* Fortis re vera bellator est timor Dei, qui omnes negligentias fugam capefere cogit. Longe tamen fortior est illo Dei amor: quoniam fortis est ut mors, ante cuius conspectum nihil est adversae poestatis quod subsistere possit: quoniam patiens ille est, & benignus, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Hinc Sapiens tyronem Christianum hortatur, ut in certamine positus, his duobus militibus muniatur, sic inquit: (Eccl. 2.) *Filii, accedens ad servitutem Dei, stas in iustitia, & timore, & prepara animam tuam ad tentationem.* In iustitia & timore stare esse praecipit. Charitas est vera iustitia, quia nos justos efficit, & Dei filios. Haec est quae nos stare facit, & accinctos nos efficit ad omne opus bonum. Nescit enim illa locum dare hosti, nunquam succumbere novit. Sed si charitas tam fortis est, & tantam conciliat fiduciam, cur additum est in timore? Si justus est, quid timet? Si non est justus, quomodo stat? Timor iste, qui vires animo tribuit, & ad bellum confortat, non est illi peccatorum timor, quem servi habere solent: quoniam hic magis deicere animum solet, quam erigere. De hoc enim timore ait Salomon: (Prov. 18.) *Pigrum dixit timor.* Hic est ille, quem perfecta charitas mittit foras. (1. Joan. 4.) Optimus innocentiae custos, & iustitiae fidelissimus comes, est timor filiorum, quo sola culpa, & patris offensae timeatur. Qui stat (inquit Apostolus 1. Corinth. 10.) *videat ne cadat.* (Rom. 11.) Et iterum. *Tu autem fide stas, noli alium sapere, sed time.* Hic timor ad bona opera extimulat, & à malis averit & protegit. Hoc timore munitus erat ille, qui dicebat: (Job. 9.) *Verabar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti.* Et ille, qui non se justificatum credebat, quamvis nihil sibi conscius erat. (1. Corinth. 4.) Qui ab his duobus militibus juvatur, tam fortis est, & tantum hostibus metum inicit, ut à facie ipsius concidant inimici ejus, & in fugam convertantur. Nam hujusmodi athletae

Hh